

No. 421. 1337. 3. Apr.

Markgraf Friedrich der Ernsthafte bekennet Dresden mit allem Zubehör und die Burg Radeberg mit der zwischen beiden liegenden Heide, dann den Friedewald von B. Withego zu Lehn empfangen zu haben.

Nos Fridericus dei gratia Thuring. Iantgravius, Myzsnensis et Orientalis marchio dominusque terrae Plyzsnensis recognoscimus et ad singulorum tam praesentium quam futurorum volumus pervenire notionem, quod recensitis divinae recordationis progenitorum nostrorum saluberrimis intentionibus, qui ecclesias de bonis suis propriis plantantes ipsas in iuribus suis omnigenis fidei protectionis ope confoverunt, se et sua ipsis ecclesiis et coenobiis devotionis ac fidelitatis causa submittendo. Quorum vestigiis quantum nobis ex alto concessum est, inherere cupientes, castrum et opidum Dresden cum universis suis pertinentiis, castrum quoque Radeberch cum merica intermedia et foresto dicto Fridewalt a venerabili domino nostro domino Wytigone Myzsnensis ecclesiae episcopo nomine eiusdem suae ecclesiae, et ut sibi et eidem suae ecclesiae nostris consiliis, auxiliis ac fidelibus gubernationis impendiis tamquam idoneus et fidelis omagialis ferventius et peramplius assistere nos astringeremur cum nostris successoribus, in feodum suscepimus ac recepimus opidum Dresden cum castris et bonis ut praemittitur ab ipso et dicta sua ecclesia per nos nostrosque heredes et successores iusto feudali titulo possidenda. Ne autem huiusmodi in posterum a memoriis hominum obliviosis labantur aut aliquo modo suffocentur, hanc paginam conscribi nostrique sigilli maioris appenditio fulciri iussimus super eo, praesentibus et testibus nobilibus viris Henrico advocato de Plawe dicto Rûze avunculo nostro, Henrico advocato seniore de Gera nec non Henrico de Koldiez, Johanne de Syweschin seniore, Arnolde de Hersuelde et aliis pluribus fide dignis. Datum Pygowe anno dominicae incarnationis millesimo CCC° tricesimo septimo feria secunda post dominicam qua cantatur Judica.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden, mit dem beschädigten Reitersiegel des Markgrafen an Fäden von rother Seide.

No. 422. 1337. 5. Mai.

Burggraf Meinher eignet der Domkirche das Dorf Serkowitz bei Dresden zu Verwendung der Einkünfte desselben zu Almosen.

Nos Meynherus dei gratia burgravius in Misne recognoscimus et universis in perpetuum litteris praesentibus volumus esse notum, quod nostro et patruelium nostrorum nomine venerabili domino nostro Wythigoni¹⁾ episcopo Misnensi villam Cerkuwitz cum VII^l talento et II parvis latorum denariorum annui census, cum molendino, taberna et agris dictis rodelant, cum piscatione, quae vach²⁾ dicitur, cum pratis, pascuis, lignis ac omnibus iuribus, utilitatibus, servitiis et pertinentiis, quibus Vlricus

1) Wythegoni B. 2) wach B.